Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

petere debent. sed de itinere uenientes. pro rebus etiam predictis. ad proximum
capitulum ueniam petunt. Quibus etiam si infra capitulum uenerint. clauso iam
ostio claustri. pulsare licet. et audiens in capitulo ostiarius. accepta
manu licentia. exit aperire eis. Intromissi autem facta oratione in mo
nasterio. statim ad capitulum ueniunt. et cum sederint. si quam stando
dicturi sunt legationem. hoc unus eorum. cui iniunctum est in loco suo
primum agit. deinde si quis eorum pro aliquo excessu ultro ueniam petere de
bet. aut quis inuitum de his etiam qui contra consuetudinem fecit. maxime
quod admonitus emendare noluit. quicquam reclamare habet. non hoc tunc
neglegit. Quomodo legationes diuerse in capitulo sint dicende.

QVASDAM uero legationes minores quidem non stando. sed quando secundum usum
fuerit. sedendo dicit. quia sunt quedam dignitates quibus maior quedam
quibus minor debetur reuerentia. Nam episcopis et abbatibus congregationum quoque
tam canonice quam monastice institutionis. quibusdam etiam secularibus.
potestatibus ut ducibus hec reuerentia exhibenda est. ut tantum salu
tationes eorum a stantibus. cetera autem a sedentibus dicantur. Soli uero domno abbi
nostro. apostolico et regi nostro. illa addenda est. ut ad eorum legationes a conuen
tu uenia petatur. Quod nichilominus ab eo obseruatur. cui singillatim
quilibet huiusmodi mandat domnus abbas ubicumque ei dicatur. Ceteris uero
quibusque orationis sue aut seruitutis deuotionem mandantibus inclina
tionis tantum reuerentia debetur. Stando autem loqui in capitulo preter hos
nulli licet. nisi ueniam petenti. Unde et obedientiarius et cuilibet
sic exituro ut ad capitulum non redeat. sedendo et loquendo querenda est licen
tia. obedientiarius quidem ad obedientias suas se et si quos suos pares uel
alios fratres habent necessarios secum exituros. nominatim dicentibus.
De quibus libet autem sic exituris ut non redeant. si quis habet aliquid loqui. ob
acceptam eorum licentiam nequaquam hoc omittit. Ceteri quoque sic exituri ut re
deant. stantes ubi prior eos uidere possit. exeundi licentiam manu